ORACVLVM
THEMIDIS POLONÆ,

Aureo cognatarum Astrææ Charitum Tripode,

In Perillustribus, Clarissimis, & Admodùm Reuerendis Dominis,

In Amplissimo DD. Iure-Consultorū Collegio,

Iuris Vtriusque Licentiatis,

D. M. ANDREA KRVPECKI,

Ecclesiæ Collegiatæ Sanctorum Omnium

CANCELLARIO;

D. M. IOANNE EKART,

eiusdem Ecclesiæ PRIMICERIO,

& in Cathedrali Ecclesia Cracouiensi,

POENITENTIARIO FOXIANO;

D. M. ADAMO STYRKOWSKI,

Protonotario Apostolico, PRIMICERIO Tarnouiēsi,

Casimiriæ ad S. IACOBVM PRÆPOSITO,

Consistorij Cracouiensis Actuario;

DVM

In Alma Vniuersitate Cracouiensi,

ad Ædes Colleg: OMNIVM SANCTORVM,

SVB EXIMIA PROTECTIONE

Celsissimi, ac Reuerendissimi PRÆSVLIS, *ac* PRINCIPIS,

D. IOANNIS

DE MAŁACHOWICE

MAŁACHOWSKI,

EPISCOPI CRACOVIENSIS, DVCIS SEVERIÆ,

Almæ Vniuersitatis Cracouiensis,

CANCELLARII Fauentissimi;

SVB

SVB FELICISSIMIS verò AVSPICIIS,
Magnifici, Perillustris & Admodùm Reuerendi Domini,

D. M. FRANCISCI IOSEPHI PRZEWOSKI,

S. Th: DOCTORIS & PROFESSORIS,
Collegæ Maioris, Ecclesiarum Collegiatarum, SS. Omniũ Crac: PRÆPOSITI, Scholastici Curelouień: ad S. FLORIANVM Canonici, Korczynen: Curati, Librorum per Diæcesim Crac: Ordinarij Censoris, Canonizationis Beati IOANNIS CANTII Procuratoris, Contubernij Hierosolymitani Prouisoris, S. R. M. Secretarij, Almæ Vniuersitatis Cracouiensis, Generalis & Vigilantissimi

RECTORIS.

A
Perillustri & Admodùm Reuerendo Domino,

D. M. SEBASTIANO PISKORSKI,

IVRIS VTRIVSq; DOCTORE & PROFESSORE,
Ecclesiar: Collegiat: SS. Omnium Archidiacono,
Canonico Vielunensi, Curato Luboricensi, Inclytæ Facultatis Iuridicæ
PROCANCELLARIO.



In Nobilissima Illustrium Hospitum Corona, & Senatûs Academici Consessu,
Iuris Vtriusque Doctores,
RITV SOLENNI RENVNTIARENTVR,

CORONATVM,

& officiosissimi cultûs, gratulatorijque applausûs ergò, raræ Solennitati Actûs istiûs, lucique publicæ,
PER
M. MARTINVM BIELECKI,
in eadem Alma Vniuersitate Cracou: Phil: Doctor: & Profes: Colleg: Minor: Canonicum Tarnouien: Contubernij Iagelloniani Seniorem.

CONSECRATVM.

Anno Salutis 1692. Die 27. Mensis Martij.

CRACOVIÆ, Ex Officina Francisci Gezary, S. R. M Illustriss. ac Reuerendiss. D. Episcopi Crac. Ducis Seueriæ. Necnon Schol. Nouod. Typogr.

ORACVLVM
THEMIDIS POLONÆ,
Aureo cognatarum Aſtrææ Charitum Tripode,
CORONATVM.

PRæſens rerum humanarum tutela
Aſtræa Virgo;
ſi è terris exceſſerit:

quid iuuat ſolicitare Deum, Cyrrhæa ſecreta mouentem?
vt carmine donantium mortalibus æuum ora Vatum,
entheo vigore impleat.
Sacer hic labor & dignæ Phœbo ambages,
vtcunque decus ſuum pretiumque retinent,
dùm viget opus Iuſtitiæ Pax,
vna innumeris potior triumphis.
Hæc
poſtquam ferri licentis violentiâ tollitur è medio corripiturq;;
pallent illicò marcentq; Doctarum hederæ præmia frontium.
& ſi hoſtiles fumantium Thebarum inter ignes
Pindari vatis Penatibus contingat eſſe ſaluis;
fauſto Iuſtitiæ genio, non ſuæ artis præſidio, beneficium debent.
vbi Iuris & æqui, reſponſa, ſpreta neglectaque ſilent,
ſcrutari Oracula Phœbi, Lyciaſq; exquirere Sortes;
vt turbine magno ſpes ſolicitas, trepidoſq; metus, tollant aut minuant:
tantum prodeſt,
quantum Muſica in luctu, potæque in febribus aquæ.
Nimirùm
pulſo Legum auxilio,
nullâ formidine pœnæ, nullâ dulcedine recti,
ſi certetur in commune nefas;
cuncta hominum, rerumque quid aliud ſunt?
quàm mare infidum & procelloſum,
in quo Cete grandia non requiras,
cum Ius ſceleri datum, multiplicat Polyphemos,

fitque præda maiori minor.
Corda iniquorum Eurippos reputa:
continuo nocendi æstu feruent.
vbique statio malefida bonis.
colluctantibus malignorum peruersorumque ventis,
nutat mediæ fortuna carinæ.
sæuæ inter licentiæ Acroceraunia, naufragæ Virtuti
dextrum Scylla latus læuumq́ implacata Charybdis obsidet.
adeò redundantium ex impunitate vitiorum
grande diluuium vitam moresq́; hominum pessumdaturũ ingruit:
nisi rerum temporumque Domini Deucaliones,
nauigio prudentiæ freti,
maturè confugiant in bicipitis ardua Parnasi:
Hoc est,
nisi conterminum cœlo Iuris Vtriusque fastigium, animo emensi,
de reparando in melius humano genere
consulant Themidis Oraculum.
Hæc cùm Iouis mens consiliumque sit,
quidni alto eminens solio coronata,
Reges in ipsos seriò aduertat,
honestum omne iustumque in sinu & indulgentia fouens,
procul habeat maculosum nefas.
Cur Themis Omnipotens,
priùs olim in Templo Delphico, responsa dedisse traditur,
quàm Iuris Consultus Apollo; quæris?
quia etiam filij Solis,
(cuius imagine iustum sanctumque Principem Aegyptij designârunt)
nisi ad iustæ pondera Libræ respiciant,
fiunt orbis terrarum Phaëtontes.
Nec quidquam
à Sapientissimis etiam dictum factumuè Oraculi nomine dignũ,
quod Iustitiæ Numine non decernitur.
Aureus igitur Tripos,
(quod sapientissimo mortalium munus deberi, olim Pythias
ex adyto decreuit)
quidni, Sapientiam & omnem complexæ Virtutem, Themidi,
desinat in diadema gloriæ?
cum qua,

cum qua, si commune sibi Oraculum, Delius ipse fecit?
profectò, non etiam secreuit ab aureo eruditarũ mentiũ Tripode,
quem sibi Argolicæ Septemuiratus Sapientiæ dedicauit.
coniunctum hoc vtriusque in animos imperium, si vspiam,
certè in hac Poloni Orbis Attica, spectandum.
quàm benè conueniant & in vna sede morentur
æquus cum Themide Phœbus.

Felicitas hæc Lechiadum,
quòd non videndo Delphos, ex Tripode sapiant;
Tuum munus est,
Diue, Poloni conditor Academi, IAGELLO:
iusto, felici, pioq; Liberrimæ Gentis imperio,
Regnum Sapientiæ adiunxisti,
vt augustam mentem Tuam, non vnius conuiuij decreto,
in concilium Diuorum assereres:
& qui in ritu Gentili Astræus fueras Superis infestus,
rectâ tandem Iustitiæ semitâ iturus ad astra,
Superûm iuxtà ac regnorum decus maximum,
cælo, in nouum Heliconem deduxisti, Astræam.

Quam,
vt *Cererem quoque Legiferam*, iusto titulo dici ostenderet:
Magnus de Gente & Armis *Aceruorum*,
Iuris & Sacrorum Antistes Cracouiensis,
primus Illi ad aram mactauit Hostiam;
Iuris Canonici Oraculis, publicè ex Cathedra Iuridica respõdendo.
vt Præsuleo propitiata honore,
aurea sæcula in Polonia renouaret,
quæ regnante Saturno, cælo missa, condiderat.

Non tam Athlantidum lampas septena Sororum
collectis fulgoribus orbem suum serenat,
quàm præclara septem Liberalium Scientiarum Pleias,
in pugnaci & magnanima Sarmatarum indole,
aureos omnigenæ Eruditionis Tripodas effingit;
vt munere tanto fontem suum Phœbi & Themidis Oraculum coronet:
in quo Astræa non de antri recessu murmurat:
sed palàm consultantibus, tot responsa reddit,

quot doctisſimorum à fauſta origine Iuriſprudentiæ Doctorum,
perſpicaci ingenio, reconditos ſenſus,
& abſtruſa ambiguaque Iuris, reſoluit.
Triplex ille partium Iuſtitiæ nexus:
honeſtè viuere, neminem lædere, ius ſuum cuique tribuere,
cùm firmiſsima humanæ vincula charitatis contineat:
iure opimo cognatarum Aſtrææ Charitum, nomen vendicat.
Conſciæ Oraculorum Conſultorumq; Lauri,
quæ emeritas frontes redimiunt,
Coronæ triumphales ſunt,
quibus continuo ſucceſſu, terna per ſæcula,
Craciæ auguſtal Themidis, pulcherrimè vernat:
aureos Reſponſorum Iuris Tripodes tot numerans,
quot Clariſsimorum in vtroque Iure Doctorum, decora ingenia.
Hoc coronario doctarum mentium auro,
quod Vobis pertinax recti pectus & non vna excellentiũ in Iure meritorũ
adorea, in coronam fabricauit VIRI CLARISSIMI,
hodiè radiat ſplendidiſsimè,
Polonæ Themidis ſacrarium.
Numerus *hic veſter Ternarius,*
quem Pythagoræi Aequitatis diem vocarunt,
nobis lætitiæ, Vobis gloriæ, ſerenum meridiem accendit.
Tam decoræ lucis in auge præradias
Perilluſtris, Clariſsime, & Admodùm Reuerende Domine,
M. ANDREA KRVPECKI
Iuris Vtriuſque Neodoctor,
pulchro viſendus honore, ſed merito in rem Literariam ſuperior.
Nomen Tuum igneum & virile,
rem probat, & omnem laudem abſoluit in puncto.
Nam igneo volucrique ingenij impetu,
Pegaſeum ætatis gradum anteuertens,
ſenſus in prætexta præſtitiſti viriles, ANDREAS,
magnarum rerum ſpecies, eminùs animo ad ſe vocans,
quæ mox gerendæ, præberent materiem, magnæ excelſæq; gloriæ.
cum naſci contigit præclarè,

alteram

alteram vitam potioremque cogitans instituti conuenienter,
insinuato ingenuæ indoli Tuæ Literarũ bono, acritèr illis institisti,
flammam imitatus,
quæ leui flatu excitata, ignem suum explicat.
Ergò pectus generoso incoctum honesto,
quod speciosus Charitum ternio occupauerat,
Musæ quoque libentèr subierunt.
illis auspicibus, per erectos ad virtutem passus,
per difficiles ad coronam agones,
itum est à Te magnanimo Agonotheta,
vsq; ad edita doctrinæ Sapientûm templa serena.
sublime ingenium mox vice Tripodis colendum,
velut fuluum quod probatur in ignibus aurum,
per multa viuum spirantia Phœbum specimina, seriò exercitum;
istud oraculum fecit:
non tàm facili paratu,
triumphalia Philosophicarum Laurearum decora,
eruditis mentibus obuenire,
quàm facilè ligustra cadunt.
Præmia hæc eruditorum laborum sufficiant alijs,
& saturent laudandam gloriæ cupidinem,
quæ amplius, quàm vitæ spatium extenditur;
Tuæ fuerunt incitamenta laudis
& maiorum præambula meritorum.
Maximum sapientiæ officium esse ratus, vt verbis facta cocordēt;
esse quàm videri, dicique Philosophus maluisti.
non tetricæ frontis, nasique seueri ostentatione,
non vanæ tinnitu laudis,
non clamosa contentione nec supercilio,
sed pertinaci in voluendo reuoluendoq; Philosophorum dogmata labore,
felici ingenio in intelligendo,
prompto ac veloci in arguendo & respondendo,
acri iudicio in resoluendo, facili in explicando,
Verùm in Philosophia parari decus non nescius,
palmaribus hisce vestigijs,
per tot priuatarum publicarumq; disputationum certamina,
ad eruditæ fastigium gloriæ contendisti,
per quot discrimina rerum,

Anchisiades tendit in Latium.
Præcipuus tantæ celebritatis titulus,
& Victricis Tuæ Philosophiæ trophæum,
perennat in fastigio Montis illius,
quem vulgò Caluum vocant,
ego, quia Sanctus est, & BENEDICTINVS, caluum dicere nolo,
ne vapulem more puerorum, Sanctum Domini, calue calue, inclamantium.
Sacer ille Poloniæ Olympus est: quia cœlo vicinus,
euanidas sæculi nubes à longe despectat:
& beata, Soli DEO vacantium animarum, serenitate renidens,
cælestis pignus Patriæ, in notabili Benedictæ *Crucis* particula, asseruat.
Post exactam inibi Cursûs Philosophici, cum ingenti audientium profectu
Olympiadem, gloriosius Tibi contigit Olympionicen fuisse,
quàm Magno Macedoni orbem triumphare.
Prodromæ noctium, cadant altis de montibus vmbræ, cæteris,
Te, velut electi populi Legislatorem, de monte Domini descendentem,
maior solito gloriæ lux circumfulsit,
signauitq; viam triumphalibus flammis, ad maiora nitenti.
Splendore Virtutis, & eruditionis tanto,
LVBRANSCIANAM Palladem,
postquàm modicum recreasses, magnus in Peripato Professor,
quantò illi gratior fueras, tantò grauius discessu Tuo afflixisses,
nisi breui post, venturum speraret.
Quippè ita compositi sumus,
Vt nihil acerbius feramus, quàm rei placitæ citum transitum:
Te huc reducem, Bellerophonta agnouêre suum,
vbiq; optimè de integerrima Nominis Academici gloria promerentem,
Regiæ cum Apolline suo Camenæ,
tacitis Minorum Gentium Collegam suffragijs, nominando;
nisi prior ad propulsandam ignorantiæ Chymæram.
Wielopolscianus Pegasus inuitasset.
Quis Deus, duxit Te in cordis intima,
Sarmatici illius, tenacitate secretorum & acri custodiâ Legum, Metelli,
Magni olim Regni Poloniæ Cancellarij,
IOANNIS WIELOPOLSKI?
os illud principalis Suadæ aureum, & Ciuilis Prudentiæ Oraculũ,
vt Te vidit, tantoperè æstimauit,
vt poneret Te, signaculum super cor suum,
geminas Paterni cordis Gemmas, magnæ Filios expectationis,
(quam

(quam, nunc temporis, magnis meritis & honoribus dignißimè implent.)
fidei Tuæ instituendos committendo.
ità iam omnia facere & dicere ex Tripode par,
etiam ex aureo illo Poloniæ Tripode, audire responsa meruisti.
Quamobrem
breue Minoris Collegij Professorum, deliciū factus,
pandentibus aliò viam Superûm Superiorumq; fatis,
vltimum vitæ & sanguinis, Diuæ Themidi, autorare decreuisti.
dolente interim Lyceo, sublimem & triumphalem Philosophum,
Tullianis rostris, magnum & grauem Oratoré, à se auelli, ægrè ferentibus.
Quicquid ergò
Sacra & Ciuilis Astræa arcanum habuit,
Tu peruestigāte industriâ, cogitatione solicitâ, sedulitate peruigili,
in lucem produxisti, felicior vtique Romano Flauio,
qui quædam Formularum Iuris latibula, cùm subdolè
Plebi Romuleæ patefecisset,
nouo Iuri nomen dederat.
Tu, quam antè Posnaniensi Academiæ
de Te existimationem fecisti Philosophus,
eam, Magnus iam Astrææ Sacerdos, ad summum extulisti Director.
nihil enim tàm arduum in illa difficili sparta, in experimentum virtutis
Tuæ contigit; quod non
magno animo aggredi, consilio perficere,
autoritate tueri, velles, scires & posses.
Præclarè Actorum tuorum,
spectator, Peraugusti illius Capituli oculus,
æstimatio Tui summa, iudicium incorruptum,
cum tuis etiam laudibus hodiè fauet,
velut Mineruæ calculus,
nec ego vota dicendo, moror.
Ergò cum id in Iuris Prudentia assecūtus es,
vt non tantùm Iuris, sed Iustitiæ Consultus habearis;
cùm tam ad resecandos Iuris nodos,
quàm ad resoluenda ænigmata Legum,
tam promptum Tibi ingenium sit, quàm gladius Delphicus,
Salue igitur benè & feliciter
Iuris Vtriusque Doctor?
& qui Coronamentum sanctitatis & vitæ,

Magnis in orbe Hyperboreo Hoſpitibus,
Diuis LVDOVICO & ROSÆ
aureâ Suadâ olim concinnaſti,
diu ſoſpes & fortunatus, aureo conſultiſſimi pectoris Tui Tripode,
Themidis Tuæ Oraculum corona.
Te verò, dulces ante omnia Muſæ,
quidni, pectore toto recipiant plaudentes?
quidni in Te Laureatum, purpureos ſpargant flores?
cui plenum ingenio pectus, & miram facundi oris ſuauitatem,
cum nomine Gratiæ finxerunt,

Perilluſtris, Clariſſime, & Admodùm Reuerende Domine,

D. M. IOANNES EKART,
Iuris Vtriuſque Neodoctor,
qui vt vitâ, moribus, doctrinâ ſemper Tripodem ſpirares,
virtutem & Regias conſuluiſti Camænas.
auſterior quidem illis genius & non blanda vox,
algere, ſudare, magnos tolerare labores,
ſed nunquàm cortina fallit, ſi reſponſa dignè impleueris,
maximè in dictis factiſque cauendo : *ne quid nimis.*
Medium illæ amant,
à quo Tu ne latum quidem vnguem videris diſceſſiſſe:
cui arcano Dei iudicio,
medius locus contigit in Tripode Iuris.
Hinc verior Tibi ſinè furore Phœbas, mens conſcia recti,
modeſtus de Te ſenſus, adytum & antri receſſus.
Vnde
cum multa præclara in lucem prodierint oracula,
maiora ſub inuolucro modeſtiæ latent.
Laudanda tamen opera,
non idcirco celas, vt alijs inuideas,
ſed vt intelligaris, virtuti maximè,
non populari auræ Te ſtudere:
contemptu quidem famæ contemni virtutes,

ſed ſi

ſed ſi bona ſit, famam diſſimulando augeri,
eiuſdem prudentiæ Oraculum eſt.
Non totum celant nubila ſolem:
excelſas quoq; dotes tuas, pulchræ ſub nube modeſtiæ,
oculus ille Iuſtitiæ & innocentiæ pupilla,
Columna Eccleſiæ Dei,
viua & inuſitata magnæ virtutis ſpecies,
optimus Præſul OBORSCIVS perſpexit, nec diſtulit,
manibus dare Lilia plenis,
Ab illo Iuſtitiæ oraculo,
ſummiſq; alijs Aſtrææ Flaminibus, eruditus,
non decere ſapientem ac Iure-Conſultum,
ex cortice de nucleo ſententiam ferre;
medullam Iuris Vtriuſque conamine maximo,
in tui profectûs vſũ & hodierni ſplendoris magnificentiã traduxiſti:
Iuſtitiæ medium ſemper tuiturus,
Medius hodie Neodoctor;
vel vt Te pleno titulo, honoris gratiâ appellem:
Orator Philoſophus, Iure-Conſultus.
Auguſta hæc nomina & magno ore ſonanda,
virtutis, Doctrinæ, gloriæ Doctoralis;
pretioſos tamen hos vniones, quis credat?
rudes & aſpectu viles conchæ pariunt:
labor, ſedulitas, ſudor & atra cura.
fuliginem neceſſe eſt abundè bibat doctor,
vt in illius Doctorali corona, fulgeant iſti adamantes.
Hâc Te via quæſiuiſſe eruditi honoris functiones,
gradus laborum, per quos iuiſti ad præmia honorum,
certius approbant,
quàm aliquis, vt aiunt, ex Iouis tabulis, teſtis.
Nam ſimulatque primam eruditi periculi procellam,
in Minori Collegio,
quà itur ad Senacula & Curules,
velut Cocles in ponte ſublicio,
Oratorijs Philoſophicíſque inclytus palmis,

dexter-

dexterrimè ſuſtinuiſti,

velut è luco Apollinis in Aſtrææ cælum,

proprio alarum remigio ſublatus es, Aquila, IOANNES,

omine ſanè fauſto:

quia reſponſa Charuſpicum, numeroſa merita dederunt,

ſapiens animus Tuus, recitabat folia ſybillæ:

hæc eſt, Intelligentia Iuris

quæ in Te quàm felix & excellens ſit,

euincunt difficiles & perplexæ Quæſtiones Iuris,

digni Te iudice nodi,

in quorum docta & luculenta explicatione,

fracto difficultatis putamine,

nucleum intelligentiæ Orbi Lechico reliquiſti.

quarum in auro velut adamas fulgurat,

Quæſtio de Poteſtate Summi Pontificis,

quam nuperrimè in ſolenni Licentiaturæ Actu,

decidiſti clarè, defendiſti ſtrenuè:

quot in illa Concluſiones, tot aurea reſponſa,

quot allegationes Legum, tot Lauri & Cortinæ loquaces:

dignum ſanè Laureâ Iuridica pretium,

pro quo, benedicat Doctorali Coronæ Tuæ,

quâ Themidem Polonam coronas,

faueatque Rebus Academicis Ille,

cuius auguſtiſſimo capiti, hoc filialis deuotionis lēma conſecraſti,

Sanctiſſimus Pater INNOCENTIVS XII.

Gemmea Vniuerſalis Eccleſiæ Dei Corona.

Multa honori Tuo debeo, multa volo,

Perilluſtris, Clariſsime, & Admodùm Reuerende Domine,

D. M. ADAME

STYRKOWSKI,

Iuris Vtriuſque Neodoctor,

ſed ſubita ratio ſtuporis, minuit animi geſtientis plauſum,

Nimirùm

cum in amplitudinem meritorum tuorum,

& in ſummam hanc dignitatis Iuridicæ celſitudinem,

quam

quam feliciter prehendis, acritèr intendo animum:
Tu mihi videris Trina & vna charis,
ſolus aureum Tripoda promeritus,
Porrò cum erudis multos ad Iuſtitiam Iuris Vtriuſq; Profeſſor:
cum iudicas iuſtè, interpres Cauſarum Iuridicialium,
ſerius inquiſitor & Notarius,
cũ ſtylo & calamo pro Terna Iuſtorũ ſanctitatis corona, allaboras,
vt fulgeant ſicut ſol in ſplendoribus Sanctorum;
quomodo non tres Gratias, mereris vnus in Coronam?
digna cedro, trium Acta viſitationum,
quas cũ Tribus oculatiſſimis ſummæ prudentiæ & dignitatis Argis,
laudabilitèr peregiſti, dum reſpicio:
Triophthalmo Te ſimilem video:
in quo vt natura miro artificio,
ita longa praxis & experientia Iuris,
in capaci tuo ingenio, trium Iuſtitiæ oculorum fabricam effinxit,
queîs in tuam & aliorum vitam ſine ruga aduertas.
Quid mirum eſt,
ſi Iure quodam ſucceſſionis & Præſuleæ priuilegio gratiæ,
Tuam ſuauiſſimam morum temperiem,
auream animorum catenam.
& Iuris ſummitatem, circumdant, nunc Thiarati flores Roſarum,
vt ante vallabant fauoribus Lilia conuallium?
cum Tu, corde, *ore* & animo, floridus totus,
candidus & rubicundus,
in purpura dominæ rerum Iuriſprudentiæ,
ſemper triumphas victor,
hodiè vtroque Iure Laureatus Doctor.
Cui
ſimulac in æde Muſarum lætum pœana finiui;
Magnificum hoc Omnium Sanctorum honori dicatũ, Pantheon,
monet:
vt pro Tribus in vota deſinam vnus.
DEVS TER OPTIME,
Cui lætitiæ Genij, per nouem diſtincti choros,
benedictum occinunt Triſagion,

in aureo hoc,
quo Themidis Polonæ Oraculum, dignantèr coronasti
Neodoctorum Tripode,
peculiarium Gratiarum Tuarum,
& perpetui fauoris, priuilegia,
protectioni, ornamento & ad maiorem gloriam Tuam,
studiorum incremento,
deuotissimæ Tibi semper
Vniuersitatis Cracouiensis
consignare, dignare.
Accedite votis
in vestro sacrario solenniter nuncupatis,
Æternæ veritatis Oracula,
mentes cæli Palatinæ, defixæ in Sole Iustitiæ
Augusti & triumphales Empyrei Ciues,
qui regnum decoris & diadema speciei de manu domini accepistis,
& date Omnes vnam,
vestræ Benedictionis
CORONAM.



